

T ó l d a l é k.

A Magyar Kurirnak, September 21: ik napján
költ 24: ik darabja mellé.



E l e g i a

Clarissimo, ac Doctissimo Viro Domino
MICHAËLI TERTINA

Regii M. Varadiensis Archi-Gymnasii
Pro Directori, et Humaniorum Litterarum
Professori Primario — nec non, Regii Er-
langensis Instituti Ordinario — Ducalis au-
tem Latinæ Eruditorum Societatis Jenensis
Honorario Sodali

Authore

Ladislao Nagy de Peretsen,

Comerali Notario, in Eruditorum Patriæ Filiorum
Trophæum. — 1802. — Die 20. Aug. concinnata.

*Et quisquam ingenuas etiamnum suscipit artes,
Aut tenerum dotes Carmen habere putat?
Ovid. Am., L. III.*

Multa decent homines sub eodem sidere natos,
Quæ pro venturâ posteritate notent.
Vix poterit mundo major tamen esse voluptas;
Aut magis humanum, nec juvat ulla, genus:
Quam studium scriptis gravium mandare virorum,
Atque per alternas concelebrare vices.

Aspice ; Pergamei Cæsûs memorator *Homerus*
 Vivit, cumque suis *Illias* aucta viris.
 Maximus ingenio Lethæas *Ennius* undas
 Effugit, Ausoniam, Scipiadasque canens.
 Augusti vates, Eræiaque arma leguntur,
 Et Messala, tuum, culte *Tibulle*, decus.
 Bonfinius Linguae species facunda Latina
 Hunniaden recolit, Progeniemque suam.
 Aemula puid memorem *Friderici* bella duelli ;
 Aut Leopoldinâ, perta *Trophæa*, manu ?
 Carole, quid Vestrum, Venetos, juncture, trium-
 phum
 Atque decennali Prælia gesta sago ?
 Obruor hic numero ; pater his est author Apollo,
 Aoniæ sunt hæc omnia, munus, aquæ !
 Ergo, Te dubitem nostris decorare Camænis
Tertina, Pannonici, clare Poëta, soli ?
 Qui nuper Xenium, dederas Ercomi Fratri
 Cæsaris, Aufriadum, svave poëma, Luci ! a)
 In quo, tam gravitas vocum, quam bella venustas
 Emicat, Andinæ pectine compta *Lyræ*.
 Nec caret effectu, cultus pia Cura, fidelis —
 Respiciunt alto Numina sæpe polo :
 Cernis, ut interdum Samiæ Cortina Sibyllæ
 Panditur, ad famulas sunt rata vota preces.
 Jupiter obvelat cælestes nubibus arces,
 Moxque repurgatis aëra mulcet aquis ;
 Sic, post Martis opus, post tanta negotia bellî
 Principis effulsit luce serenus apex,
Carolus ad vestrum cupiit rescribere versum
 Dignatus propriæ mittere signa manûs.
 En, Astræa redit, redeunt Corvinia Sæcla,
 Numinaque ad populos, cerne, venire suos.

a) Ut sub Nro. 43. Magyar Kurir existit, Se-
 renis. Prii ceps Carolus Xenium sibi submissum,
 responso propriæ manus fertile, prosequi di-
 gnatus est.

Heu felix certe tellus, nimiumque beata,
 Quæ Sophicâ celebres parturit arte viros —
 Faustior ast illa est, quæ Docti terra sub alto
 Principis auspicio tollit ad astra caput!
 Tracis tunc etiam, docto regnata *Lycurgo*,
 Floret, et ex Ihaca cautus Ulysses humo.
 Quid referam Thebas? Trojam, quid Apollinis
arces,
 Quæ loca p̄ncipibus reddits clara suis?
 Grex bonus hæc sequitur Ductorum exempla suo-
tum,
 Qui nitet ad dominum sideris ordo thronum.
 His similes patriæ numerantur membra palestæ,
 Parsque sodalitiï, *Tertina* docte, Tui:
Affidius Kovachich, Dominiæ spes altera Budæ: b)
 Protulit Historicas Aera vetusta probas.

b) Hic enumerantur ii viri, quibuscum D. *Michael Tertina* Correspondentis fovet, præter reliquos hi — 1-mo *D. Martinus Georgius Kovachich* Historicus, et Diplomaticus, Budæ residens. 2. *D. Georgius Aranka*, Tabulæ Regiæ in Transylvania Assessior a' Libris Aestheticis patrio sermone scriptis notus. 3. *Joannes Chrysofomus Hannulik* Academiæ Romanæ Arcadiæ dicæ, et aliarum Societatum Commembrum, Poëta Lyricus in orbe latino notus. 4. *Georgius Aloysius Szerdahslyi* Abbas, et Canonicus Vaciensis. — Author Sylvæ Parnassii Pannonici, uoi se Mercurianum Budensem apellat, in Elegidiis clarus. 5. *Christianus Engel* Hungarus, ad Ex. Cancellariam Transylvanico Aulicam Concipisti; Librorum C. R. Censor; Societatum Pragæ, et Göttingenæ sodalis, vir omnigena doctrinâ conspicuus — sui Alexander Rufforum Imperator annulum aureum gemmis distinctum dono submisit.

Ipse, suos libros ad luminis extulis oras —
 Notus, *Aranka*, tuum, Dacica terra, jubar.
 Plaudimus *Hannuliko*, quo non præstantior alter,
 Qui moveat lyricos dulcius arte sonos.
 Cingere, *Zerdaheli*, sylvestris flore camoenæ
 Antistes elegis, Mercuriane, modis.
Engel, ades! nostris scriptor celeberrimus oris,
 Cui mittunt donum, Russica Regna, suum.
 Quis Te, Romani, tacitum, *Pazmane*, *Galeri*, c)
 Varradiique sinat, gloria prisca, soli?
 Jam, *Josa*; *Vajkovichus*; *Mihalócius*; atque *Ganótzy*
Janus et extremum jam subiere diem
 Hi fuerant soles studii, dum vita manebat,
 Consortes Patrie, Lumina rara, meæ! *)
 Horum, quisque decus famæ, laurumque momor-
 dit,
 Obrueratque suos nec Libitina rogos,
 Nemita sed nostri laudabunt usque nepotes —
 Chrysius auriferas dum cumulabit aquas;
 Dum Præsul vives Misis, comitate *Bachinszky* d)
Telekiæ stirpis dum Domus alta manet;

c) *Petrus Pazmanus* Cardinalis — *Emerious Vajkoviçs*, Præpositus Colocensis — *Janus Pannonius* quondam Quinque Ecclesiensis Episcopus, et poëta suæ ætatis. — *Antonius Ganótzy* Canonicus Varadiensis — nec non *Georgius Mihálócy*. — *Gregorius Josa* Professores Varadiensis defuncti olim editis operibus et poësi celebres.

*) Isti nati sunt Varadini quae est mea quoque Patria.

d) D. Tertina, his Mæcenatibus inclaruit, ut, *Andrea Bacszinsky* Episcopo Munkatsiensi & D. Comite *Teleky Samuele*, Cancellario aulico; ac demum, *Francisco Szecsényi* Cubiculariorum Regalium Magistro.

Atque *Szechéniadum* fueris dum Cura secundo
Tertina, pro studiis, fulte, patrocínio.
 Nam velut evinctæ splendent adamante Coronæ;
 Fulget, in annuleas, gemma relata, rotas;
 Ac magis auricomæ scintillant æthere stellæ
 Non fecus, hæc Patriam turba coruscat hu-
 mum.

Hos ego, qui faveant vobis, si proloquar omnes,
 Illias est numeris longa futura meis.

Sufficiat, nuper missum *Jennensè* Minerval
 Pierium *Erlangæ* Te subisse chorum! e)

Hæc fuerint potius laudum documenta Tuarum;
 Quam fluxas numeres Pygmalionis opes.

Hæc produnt hominem; quod ab alto semina cælo
 Duceret, ac sensus imbuat arte suos.

His ego Te lectis Aradensi rure corymbis
 Dono; et ad Aonias affero munus aquas:

Ut colere, agnoscat ventura nepotibus ætas,
 Me Patriæ celebres, tempus in omne, viros.

BCU Cluj / Central University Library Cluj



e) *Jena*, est in Circulo Saxonico Superiore; sed
Erlangæ in circulo Franconico. — In quibus
 civitatibus existentium Eruditarum Societatum
 commembrum est D. Michsël *Tertina* — uti
 in *Magyar Kurir*, 1802 sub Nro 28 & 50,
 uberius exponitur.

MVsae ROSNAVIenses
 ANDreae ZALO
 Gratia
 AVGVSTI regis FRANCISCI
 et
 VIRTUTE SVA TERTIO
 PRAELATO IASZOVIENTI.

*Non novit Virtus Calamitati cedere
 P. S. Minus in Sententiis.*

Deliciae quondam *Jászo*, quod quindecim ab annis
 Conciderat, priscum perdiditque decus.
Heu ubi majestas, ubi splendor, gloria fama,
 Vix aliqua antiqui signa decoris habet.
Illa loca a multis toties celebrata per annos,
 Nunc horrent turpi squalida facta situ.
Marebant errepta sibi sua gaudia fratres,
 Nobiscumque suas perdidit omnis opes.
Diversa exitia experti, variasque procellas,
 Incerti, dabitur nunc patriae ad frui.
Omnia tempus edax ita deformarat, ut hospes
 In medio *Jászo* *Jaszia* quaerat ubi es?
O fatum infelix! o sors male fida, profecto
 Nostra fuit tristi mersa carina loco
Et quid miremur tantas si agitata per undas
 Amisit vires vita caduca suas.
Non tulit hanc speciem Divino pectore Princeps
Franciscus, nivei spesque, salusque chori.
Ille hodie abstergit senium, faciemque priorem
 Induit, et veteri jussit honore frui.
Ilius imperio quindenis exul ab annis
 Candidus ad patrios ordo redire focos.

Jussus; ut Hungarise, Patribus, teneraeque juventae
 Sollicitus faveat, prospiciatque Pater.
 O studiis placitura meis *Faszovia* posthac
 Incipis erectis luxuriare comis!
 Hic jam tranquillo vivemus tempora cursu,
 Dum veniat fatis hora suprema meis.
 Vixinus arumnes inter lachrymosque multum
 Tempora, jam patria nunc datur urbe frui,
 Ut, quod tot curae, tot detraxere dolores,
 Restituat vati Parthenopea suo.
 Nulla per obductum decurrent nubila coelum,
 Arguta Augustum concinet omen avis.
 Dii Mavis! ad *Faszo* rediit dum Candidus ordo,
 Candida se socii solvite vela noto.
 Dii Patrii, quorum de nutu huc advena classis
 Appullit, atque rovas constituitque domos.
 Litoribus talem nostris avertite pestem
 Post hac, quam passi cum pietate sumus.
 En favet Augustus Regni nostri o decus, o lux!
 Hungarici, per quem libera turba sumus;
 Sub quo speramus Saturnia saecula, cum sol
 Exoriens nostra clerior aede micat.
 Sit Jove Creta potens, sint clari ab Apolline Delphi,
 Terra rudimentis nostra beata tuis.
 Ardua sunt superata, novas mea Carmina vires
 Summite, per durum gloria crevit iter.
 Nunc opus est alia crinem componere fronde
 Huc, huc cum sertis Bache jocose vari.
 Ingredere, o felixque subi pede nostra secundo
 Limina, propensos, et venerare Deos.
 Ingredere *Andreas*, partos virtute triumphos
 Accipe, *Fransiscus* Jure dedit, quod habes.
 Aspice pullata mserentem in veste Coronam
 Fratrum annos plures, jam decor ecce redit,
 Aspice Primores populi, queis vulnere tanto
 Confossis, summus jubilans ore sedet.
 Quis quis ades! bona verba, et lätas edite voces,
 O lux delicias inter habenda meas.

Vos vero Fratres, qui mecum plurima passi
 Propitiis hodie thura litate Diis
 Ipsa sed imprimis solemnes indue cultus,
 Et tua purpurea tempora cinge rosa.
Franciscoque Tuo *Jaszovia* grata perenna.
 Quæ accepisti, sunt munera rara hodie.
 Alba Tibi vestis, nullo violata veneno
 . Adsit, et ingeminos defluat apta pedes.
 Magna parens Juno centum comitata ministris
 Huc ades, et votis annue diva meis.
 Annue *Francisci* comitatus vota *Josephæ*,
 Hungarici Regni gloria, splendor honos!
 Annue, cui robur præclaræque pectora semper
Carole, et invictæ dura per arma manus
 Annuite O proceres, quorum de munere avitum
 Accipiet *Jaszo*, Rege favente, decus.
 Debet in acceptis vobis, quod scripta loquuntur
 Substrata Augusto, Principibusque Viris,
 Pectoribus niveis secum bene facta recondet
 Aeternumque memor nomen ad astra feret.
 Jam clausa effossis erumpant ossa sepulchris,
 Et referunt veteres *Jaszica* saxa rogos.
 Nimirum tanto cupiunt sub Principe manes
 Vivere, et ad natus umbræ vocata venit.
 Quæque diu ambiguis hucdum fortuna vagata est
 Passibus, heu certa stat bene nixa rota.

* *

Restauratorem primum tres ante trizinta
 Annos *Sauberer* Andream *Jaszovia* vidit.
 Restauratorem quindenos pressa per annos
 Accipis Andream *Jaszovia* laeta secundum.
 Nomen idem Patri, et nato præsaigit eundem
 Andree denato Andream reque futurum.